

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

I. Assyrio-Chaldaeorum Primordia

urn:nbn:de:bsz:31-102564



I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA



Vatuor summa Orbis imperia, quae communiter appellantur, et magnitudine differabant, et splendore potentiae ac diuturnitate permultum distinguebantur. At vero illud non facile explicatu est, quamobrem a plerisque, nec spernendis scriptoribus, angustiori temporum spatio definiantur, parumque accurate inter se conferantur.

§. II. Nam Appianus, scriptor Hadriano Imp. aequalis, idemque eximius ac diligens, et cognomine Alexandrinus, non quidem inficiatur, tria priora Assyriorum, Medorum, Persarumque imperia modico, et per se satis insigni temporis intervallo stetisse, sed tamen omnino illa brevioribus, quam par est, finibus concludit atque circumscribit, ac ne annos quidem nongentos aequare affirmat. *Assυριών, καὶ Μήδων, καὶ Περσῶν, τριῶν δὲ μεγίστων ἡγεμονιῶν εἰς Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου συνιδεμένων, ἅτ' ἂν ὁ χρόνος ἐφίκοιτο τῶν ἑνακοσίων ἐτῶν*, Praefat. in Roman. hist. ubi Latina interpretatio ex assē non respondet, neque ab Henrico Stephani, et Alexandro Tollo suppletur, neque ab Virico Hubero melius adornatur. Describit autem tria haec imperia, quae deinceps Alexander, Philippi F. devicta Asia, simul composuit atque coniunxit. Mox tempus supputans, cum Romanorum Imperio comparat, atque huic diuturnitatis praerogativam asserit, et satis aperte pronunciat, totum illud tempus, quo fuerint ac floruerint, non attigisse nongentos annos. Negat (ἅτ' ἂν) non remittit ac dubitat, quum superiora imperia respiciens dicere voluit: *illorum simul sumptorum tempus ne attigerit quidem nongentos annos: vel sensu eodem, non aequarit spatium nongentorum annorum.* Elegantius sane et significantius in hoc verborum rerumque contextu, quam si dixisset, ἐφίκοιτο. Illud vero diversum est, quod aliqui ἐννεακοσίαν legunt, quando Codices Appiani habent ἑνακοσίαν, id quod alias per Graevismi leges ἐννεακοσίαν efferri solet.

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

§. III. At enimvero priscis Ctesiae monumentis obloquitur Appianus, propterea quod constat, vel unam Assyriorum monarchiam plusquam mille annis duravisse. Plane et evidenter Trogius Pompeius: *Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere, apud Iustinum l. 2. 13.* De Syrorum appellatione omnino videndus est Herodotus VII. 63. inprimis vero Ctesias Gnidius auctor est, Assyrios plus M CCC. annis imperium habuisse, apud *Diodorum Siculum II. 21.* Repetit hinc totidem verbis Eusebius, et, quae dixi, manifesto confirmat, *ἐν ἑξονικῶν λόγῳ πρώτῳ.* Ctesiae elogium vid. apud Photium in *Bibliotheca, eclog. LXXII.* Lucianus hic more Satyrico nimis sibi indulget, Ctesiamque valde fugillat, *ἐν ἀληθῆς ἱστορίας λόγῳ α.*

§. IV. Equidem minus annorum spatium ex *Aemilio Sura* colligit Velleius Paterculus, regnumque hoc Asiae maximum ad Medos translatum esse tradit, postquam Assyrii MLXX. annis obtinuerant: quod adduxit Iustum Lipsium, ut numerum Velleianum emendari cupiat, et Orosii opera eam ad rem uratur, in *animadversionibus ad Vell. I. 6.* Igitur de huius sententia conficit rationes annorum ∞ CCXXX. quoniam Orosii numerus non est amplior MCLXIV. de quo paulo post dicitur.

§. V. Aurelius Augustinus a veris emendatisque rationibus propius abest, et MCCC. annis Asiae imperium fuisse penes Assyrios scribit, atque adeo inter eum, et, quem sequimur, Ctesiam unus duntaxat annus interest, dum sequentia literis mandavit. *Cuius (de Proca Albanorum rege loquitur) tempore illud omnium regnorum maximum Assyriorum finem tantae diuturnitatis accepit. Ad Medos quippe translatum est post annos ferme mille trecentos quingque, ut etiam Beli, qui Ninum genuit, et illic parvo contentus imperio primus rex fuit, tempora computentur, in πολιτικῶτάτῳ Opere de C. D. lib. XII. cap. 21.* Quod significanter tantae diuturnitatis regnum appellavit, id Diodorus pari elogio insignivit, ac *ἡγεμονίαν πολυχρονιωτάτην* celebravit, II. 23. Tum hanc infra quoque insigniori *ἀρχῆς μεγίστης* elogio ornavit, *de bell. Punic. 82.* Neque secum pugnat Praesul Hipponensis, cum alibi annos MCCXL. quidem, sed iuxta cum annis regni Beli LXV. in unam summam colligendos, numeravit, *de C. D. lib. IV. cap. 6.*

§. VI. Orosius Augustino aequalis, a Iustino, quem alioquin sequi conseruit, discessit, et annos MCLXIV. supputavit, eosque Assyrio-Chaldaeorum regno nomine *Babylonis* designato attribuit, *Hist. lib. II. c. 3.* Vnde Lipsius ad Velleium corrigendum aggressus, remedium minime idoneum adhibuisse mihi videtur.

§. VII. Verum Orosius ad sententiam Augustini, quo et magistro, et auctore ad scribendam historiam usus est, propius accessit, ac iis quidem in capitibus testatum id fecit, in quibus Nini ac Semiramidis, novissimumque Sardanapali regnum commemoravit, *lib. I. c. 4. et c. 19.* Quibus si addamus regni *Beli* annos, quorum mentio est apud Augustinum, non potest dubitari, quin ann

1. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

3

anni MCCC, numerentur. Atque haec supputatio congruit cum Iustino, et a Ctesiae rationibus haud longe recedit, dignaque est, quae aliorum incertis narrationibus praeferatur.

§. IIX. Macrobius, qui seculo Theodosiano et vixit et scripsit, fatetur quidem, neque id improbamus, *supra Ninum nihil praeclarum in libros relatum esse* a scriptoribus profanis, sed iustum accuratumque supputationis spatium non explet, ac in eo quoque multum fallitur, quando a sua aetate ad ultima retro Nini tempora *duo annorum millia* computavit, in *somnium Scipion. II. cap. 10.* ubi sane non ex instituto, sed cursim attingit rationes temporum, et in historia ad Ninum pertinente haesitat, quod in Conone Archelai Philopatoris aequali castigavit *Photius ecl. CLXXXVI.*

§. IX. Castor Rhodii cognomento chronographus, cuius *fragmenta* in Eusebii et Georgii Syncelli chronicis supersunt, rationes longe alias iniit, et M CCLXXX. annos supputavit. Sed Eusebius, qui auctore Syncello Castorem magis quam Iulium Africanum secutus est, M C CXL haud absurde numeravit, quandoquidem, si ad datos Eusebii annos Augustini numeros, quibus Beli regnum complectitur, adiiciamus, sine dubio annorum M C C C V. rationes conficientur, in *utroque Chronico, quod Eusebio tribuitur, prior. p. 24. et posterior p. III.*

§. X. Iulius Africanus regni Assyriorum primordia altius repetit, ampliusque porrigit ac trahit, a quo dissidet Eusebius Caesariensis, etsi alias cum Africano facit, quod non inficiatur Georgius Syncellus, qui cum Georgio Chronographo Syro confundi non debet. Neque vero Syncellus, qui semel iterumque notat Eusebium, sibi in commemoratione sua adversatur, quum eum *τῷ Κάστορ μάλ' ὄν ἀκόλυθίσοντα* introducit. Fragmenta Africani nihil nos movent, ut ad Iosephi Scaligeri sententiam accedamus, et ab initio Beli annos M C C C LXXXIV. colligamus, *can. Isag. l. 2.* Similiter reiicimus eas Chaldaeorum Arabumque dynastias, quas idem auctore Africano vult constitutas fuisse ante Belum. *Vid. Euseb. ἐν χρονοικῶν λόγῳ πρώτῳ.* Nec tamen Scaligero impietatis dicam scribere velim, quod fabulosa antiquitatis regna evoluit longiusque extendit: quod sane in dynastiis Aegyptiorum quoque ei usu venit, atque hoc nomine a Dionysio Petavio reprehensus castigatusque est, iure, an iniuria, hic non disquiram: etsi haud sum nescius, Gerhardum Ioannem Vossium Scaligero patrocinari, et conciliandae eius cum veritate divini codicis sententiae rationes afferre, *de Theologia Gentili lib. 1. cap. XXIIIX. ex eoque Cl. Iob. Henricus Boeclerus, hist. univ. aetat. mund. sec. p. 240.* Nixus enim auctoritate Manethonis Sebennitae, sacerdotis Aegyptii, has tales dynastias prodidit, in quibus *τὸ μυθικόν*, et Luciani *τὸ παθητικόν καὶ θεματικόν* quod Ctesiae false exprobrat, inveniamus, qui haud possimus ignorare, omnes eas antiquitates, quae Nini tempora praecedunt, commentorum

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

rum esse plenas, siquidem eae ex auctoritate humana desumantur: perinde ut Assyriorum Chaldaeorumque res circumspicte iudicandae sunt, quatenus cum Olympiadibus, unde certum historiae profanae exordium capimus, haudquamquam connecti possunt, ut vel in ipsa Beli Ninique historia observare in praesens licet.

§. XI. Ceterum ut superiora scriberet Appianus, auctorem ei fuisse Herodotum, non sine causa arbitrari queamus: nec me fugit, ita quoque existimasse Iacobum Vsserium, ac temporis intervallum, quod Herodotus DXX. annis circumscribit, approbasse pariter ac retinuisse, in *annalibus ab Augustino Lubino, badierni Galliae Regis Geographo, recognitis aetat. mund. V. p. 49. Conf. Christianus Schotanus in Bibl. hist. sacr. de secunda mundi aetate pag. 115.*

§. XII. Alii, quibus hoc displicet, librariorum negligentiam coarguunt, codicemque Herodoti editum mendae postulant, et numerorum nomina ac notas immutant, eamque sententiam probant viri omnino doctissimi, *Ioannes Marsham eques Anglus in canon. Chron. secul. XVII. et Isaacus Vossius dissert. Chronol. de aetat. mund. in Castigationum auctario p. 373.* Quae coniectura quidem videtur verosimilis, sed non satis certa est, quandoquidem duo Codices MSP tibi oblatis sunt, ubi vulgata lectio retinetur. *Δουρείων ἀρχαίων τῆς ἀνω ἁΐνης ἐπ' ἑτα ἑικοσι καὶ πεντακίσια, apud Herodotum l. 95.* non sane mihi liceat esse tam confidenti, ut pro *ἑικοσι* ponam *χιλία*, vel hoc argumento, quod Diodorus ipse non aliter legit, qui sine dubio codicem Herodoti inspexit, et *ἑικοσι* lectitavit, *II. 32.* Speciose quidem dicunt, facile mutari posse literas, quod de notis numerorum dabo libens, sed de integris vocibus non aequo concedam. Itaque non est, quod putemus, pro *κ.* irrepisse *α.* quoniam Herodotus temporis huius intervallum non signavit notis, sed nominibus *Cardinalibus* appellavit atque descripsit. Multo minus auctoritas Herodoti persuadet, ut eiusmodi mutationem moliamur, quum nihil absurdi sit, si affirmavero, Herodotum in longinquis narrationibus saepe fuisse lapsum, quod hic mea sententia eo magis admitti debet, quia certum exploratumque est, eum neque in Assyriam venisse, neque domestica Assyriorum monumenta ex propinquo inspexisse, quorum alterum Ctesiae, quamvis recentiori, in laude est merito ponendum. Proinde Herodotus, pater ille historiae et primus in prosa narratione scriptor, iam non est *μάργυς ὀκόθεν*, quod hic summam nunc erat nobis colligendum.

§. XIII. Quamobrem Iacobus Palmerius, etsi in hoc emendandi genere multum sibi sumit, tamen in praesenti nil mutare ausus est, haud dubie ideo, quod vidit et agnovit, insistendum esse verbis, quae tot antiquis, nec depravatis codicibus haud mutata uno et constanti tenore leguntur. *Vid. eius exercitationes ad Herodotum et Diodorum Siculum, ubi nihil huius argumenti tractat, quod lituram, aut limam possulare videatur.*

§. XIV.

1. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

5

§. XIV. Ceterum Marshamus et Vossius quod Herodoto, idem et Diodoro Siculo remedium adhibent, et novae adeo hic emendationi locum esse volunt. Verba Diodori II. 28. in vulgaribus Henrici Stephani, et Laurentii Rhodomani editionibus ita leguntur. *Ἡ μὲν ἡγεμονία τῶν Ἀσσυρίων ἀπὸ Νίξ διαμείνασα μὲν τριάκοντα γενεάς, ἔτη δὲ πλείω τῶν χιλίων καὶ τετρακοσίων, ὑπὸ Μήδων καταλύθη.* Vbi si vocabulum *τετρακοσίων* relinquatur in textu ac retineatur, nequicquam dubitare licet, quin Diodorus cum Diodoro committatur. Igitur recta annorum supputatio congruentem omnino interpretationem recipit, si, prout per necessarias interpretandi rationes legi fas est, pro *τετρακοσίων* legamus *τριακοσίων*, et Diodori capita inter se contendamus, apteque omnia reponamus et explanemus. Etenim *Diodorus II. 21.* adducto Ctesiae Gnidii fragmento, sententia tradit. *Ἡ τῶν Ἀσσυρίων ἡγεμονία μετέπεσε εἰς Μήδους, ἔτη διαμείνασα πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων (non τετρακοσίων, ut II. 28. mendum est) ἔτι δ' ἐξήκοντα.* Vbi haud inanis suspicio est, irrepsisse *ἐξήκοντα*, cum vix dubitandum sit, quin *ἔξ* legi debeat, quod consentaneo historiae argumento, et idoneis interpretandi subsidiis evincamus. Similiter apud *Diodorum II. 32.* five, ut quidam contendunt, in lectione vitium est, siue illic numerus strictior de aliena sententia refertur, quando non plures, quam quingenti anni regno Assyriorum, compendiarie numerandi ratione, assignantur. *Ἡρόδοτος*, inquit, *κατὰ Ξέρξην γεγονώς τοῖς χρόνοις, Φοῖσι, Ἀσσυρίους ἔτη πεντακόσια πρότερον τῆς Ἀσίας ἀρχάντας, ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι.* Qui locus si non ex mente Herodoti numero rotundo expressus est, sine dubio existimari potest, corruptum esse, atque adeo *ex II. 21. et 28.* capitibus inter se collatis, veraque et consentienti lectione conciliatis, omnino restitui ac emendari oportere. Subdubitat Christophorus Heidmannus, nec definire vult, utri supputationi assentiatur, quoniam magis inclinatur in alteram, quia anni amplius M CCCC. dinumerantur, *Comp. histor. lib. 1. p. 82.*

§. XV. Ac ne id quidem nunc mihi reticendum est, non potuisse Diodorum, quin fateretur, impeditissimas esse in tanta ac tam profunda, ut sic dicam, caligine temporum rationes, quas, ob multas variasque scriptorum super regno Assyriorum Medorumque dissensiones, aegre expediamus. Aperte satis sigillatimque nominat, ac mentionem facit *τῆς τῶν συγγραφέων διαφωνίας, II. 34.*

§. XVI. Ex his atque talibus sequitur, ut statuamus, Appianum, cum in laudem amplitudinemque Rom. Imperii digressus, trium, quae praediximus, Imperiorum comparationem institueret, Oratoris potius, quam historici partes suscepisse, ac sine accurata designatione temporum velut in transitu et cursim res externas, atque insigniora regna attingere voluisse.

§. XVII. Undenam vero regni Assyrio-Chaldaeorum initium faciendum sit, et quo auctore coeperit, age iam videamus. Trogus, quem in epitomen redegit Justinus, a *Nino* auspiciatur, sed longe altius alii, nec obscuri nominis

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

Scriptores ordiuntur. Hi enim *Belus*, quem Tyrium an Assyrium dicas, nihil interest, memorant, atque ab eo primordia esse capienda, Veterum auctoritate freti censent. Multi reperiuntur, qui, post Noachicam aquarum eluvionem, a *Nimrodo* hoc primum Assyriorum Imperium inter magna orbis Imperia fundatum fuisse, affirmant.

§. XIX. Ea igitur res tota penitus inspicienda, et a capite arcessenda est, quod facile intelligo, eum mihi servandum esse ordinem, ut distincte omnia proponantur. Ac in principio huius rei *Nimrodum*, primum regni Babyloniorum conditorem, *Beli* quoque nomine fuisse appellatum, ex *incorrupto Abydeni monumento* colligimus et probamus. Neque adeo non est vero simile, dehinc *Nimrodum* pro regnandi libidine protulisse regni sui fines, et Assyriam quoque cum ditione sua coniunxisse. Haud obscure id confirmat, qui de Assyriorum rebus scripsit, *Abydenus*, quum regionem Chaldaee a Belo siccata, aptamque adeo habitationi factam, ac Babylonem ab eo deinceps muro circumdatam fuisse tradit, *apud Eusebium de praep. lib. IX.* At vero *Belus βαβυλωνία τέχνη περιβαλῶν* nemo alius est, ac Babyloniorum Rex, quem praeter *Nimrodum* non inveniamus. Nam omni exceptione maior divinae generationis liber, et universi eius interpretes, regnum Chaldaee pariter et Babylonem *Nimrodo* vindicant, ut vel hoc totius causae praesidium esse possit, meritoque habeatur. *Vid. Iacobus Salianus in annal. Vet. Test. ad An. M. 1932.* Nec grave mihi est, adducere testimonium *Alexandri Polyhistoris*, ut magnus ille Asiae regnator et dominus hoc *Beli* cognomento notior insigniorque fiat. Tradit autem *Alexander*, urbem Babylonis et *Nimrodi* domicilium et opus fuisse, *apud Eusebium dicto libro.* Consentit *Eupolemus*, neque *Strabo*, auctor gravissimus, contradicit, quippe qui non Urbis, nedum arcis, sed moenium munitioemque initia *Semiramidis* ascripsit, sine dubio indicaturus, *Semiramidem*, cum bellum in ultimas Asiae regiones moliretur, exquisitiori cura Babylonis moles et opera fecisse, ac muros fossasque circumduxisse; cum *Nimrodo* arx et rude inchoatumque opus sufficere possent. Atque hoc est *Semiramidis κτίσμα*, quod ibi commemorat *Strabo*, nec multo post de *Beli* sepulchro scribit, *ἐστὶ καὶ ὁ τῆς Βήλας τάφος αὐτόθι, Geograph. XVI.* cuius post *Strabonem* meminit *Plinius maior H. N. VI. 36.* *Durat* inquit, *adhuc ibi Iovis Beli templum.* De arce Babylonis in fragmento *Alexandri Polyhistoris* traditum est, neque eo secius mentionem fecit *Iosephus*, quorum uterque arcem, et hic etiam plus aliquid innuit ac designat, ut vel inde iudicari queat, *Nimrodum* fallendi vulgi artes velut in mundi instaurati incunabulis reperisse, et ad struendum Asiae dominatum vafre satis usurpasse, *Antiq. Judaic. lib. 1. cap. 5.* Prae se ferebat aedificationis causam, ut homines in posterum servaret incolumes, si cum nova aquarum eluvione conflictandum esset: una ratio svadendi hoc capite continebatur, *πύργον οἰκοδομήσειν ὑψηλότερον ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβήνας*

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

7

ἀναστῆναι δυνήθειν altera spectabat ad ultionem, μετελεύσει δὲ τῆς τῶν προγόνων ἀπώλειας, quam missam facio, dignamque iudico, quae iuxta cum aliis et inani- bus commentis improbetur, cum absurdum sit, ea velle persuadere, quae apud homines sensu et ratione praeditos non valitura sint, quorumque contrariae no- tiones et exempla in animis oculisque versentur. *Igitur omnino vid. liber Moysi, qui Genesis inscribitur, XI. 4.*

§. XIX. Quare fixum statutumque nobis est, eundem fuisse Belum, qui ali- ter Nimrodus dicitur, atque apud Graecos *ναβρωδης*, et quod a lingua Hebraeo- rum proxime abest, *Νιμροδ*, itemque *Ένχ*, five Euechous appellatur, quod licet cognoscere ex *Iosepho, Julio Africano, Eusebio, Georgio Syncello, qui Berosi Abyde- ni*que monumenta ex Chaldaeorum tabulis sumpta collectaque nobis conservarunt. Cte- sias, quem supra laudavimus, ex Perfarum commentariis luculenta historiae suae subsidia comparavit, et Assyriorum res etiam multum atque diligenter scrutatus est, nihil Diodoro Siculo reliquit, quod de *Belo* consignaret. Inde suspicatur *Hugo Robinsonus*, nullum fuisse Nino patrem, quem alioqui Diodorus Trogusque commemorassent, *annal. mund. lib. II. p. 135.* Verum hoc non est eiusmodi, ut de sententia nos dimoveat, quando non fallentibus Chaldaeorum documentis, quae in Eusebio supersunt, ac diviniore quoque scripturae adiu- menta habent, probavimus, iis omnino in hac causa standum esse. Solebant autem Graeci fere ac Latini scriptores historiae initium a Nino ordiri, quoniam hunc ob res gestas propius cognitum habuerunt, fuitque deinceps *Beli* nomen dignitatis potius, quam hominis, et quod ex *Ioanne Antiocheno* recorder, iis et- iam, qui consecrati relatiqve in divos essent, dari consuevit. *Conf. Suidas, qui hanc in sententiam de Thura Assyriorum Rege scribit: τὰ τῶν προσεκύνησαν οἱ Ἀσσύριοι ὡς θεῶν, καὶ ἠνόμασαν αὐτὸν Βάαλ, in vocab. Thuras.* Thuram non interpreto- r Ninyam, de quo tradit *Diodorus* (nusquam autem eius meminit *Herodotus*) *Bibl. II. II.* sed Arium Nini et Semiramidis nepotem. Nolim vero huc arcessere praesidium a mendosa Iustini lectione, quam non video, quamobrem *Gerhar- dus Ioannes Vosius* probaret. *Fieri potest, inquit, Ninum pro Nimrodo positum, ut facili confusio est in prisca historia, in dissertatione quae ipsi tribuitur, de ratione stu- diorum p. 26.* Nam eam mutandi licentiam neque Trogi, Diodorum Siculum sequentis, consuetudo, neque codicum Iustini veterum exempla concedunt. Orosio enim et aliis Christiani nominis scriptoribus, Nimrodi historiam enar- rantibus, scriptura diviniore, haud dubia in ultimis rerum regnorumve antiqui- tatibus perscribendis regula, in promptu fuit.

§. XX. Igitur Castoris Rhodii vestigia ingredior, et quod de profanorum *Belo* commemorat, libens amplector, ac sentio, nomen eius quidem velut ma- gni praepotentisqve regis passim fuisse notum, et fama sermonibusque celebra- tum; scribendae autem historiae principium a Nino duxisse, neque sine ratio-
ne

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA

ne fecisse, cum non reperirent domestica gentis suae monumenta, in quibus ultimi regis illius anni idoneo et consentienti temporum ordine descripti essent: de cetero Hebraeorum volumina aut non legerent, aut non intelligerent, contenti fama, quae sola texendae historiae sufficere non potest. Sive igitur obscura temporum ratio impedimento fuerit, sive recentior Nini gloria nomen famamque Nimrodi obscurarit, vere iudicavit Castor, et in *fragmento*, quod superat, hanc sententiam dixit. Τὸ μὲν ὄνομα τῆς Βελου (de Belo loquitur) μνημονεύεται, τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς βασιλείας ἀπὸ Νινυ καταποικισαμέν. Quae verba posteritati servavit Eusebius, causamque indicavit, quae profanos induxerit, ut historiam a Nino demum auspicarentur.

§. XXI. Nunc quando amplius verum magnae Beli monarchiae initium edisseram, certum sane habeo. Belum et Nino antiquiorem, et ab eo diversum esse: tum Beli regnum Babylone coeprum, atque in tractu *Semear* institutum, quatuor duntaxat urbibus comprehensum fuisse, inde ampliandorum finium causa progressum, non urbium, sed provinciarum regem esse, voluisse, ac in Assyriam movisse, regnumque ad firmandas vires opportunum armis subegisse: dehinc potentiae sedem quoque apud Assyrios collocasse, et Niniven a fundamentis construxisse, atque his rebus scriptoribus externis occasionem dedisse, ut, post instauratam orbis vastitatem, primos in eo Assyrios regnavisse, affirmarent. Aperte Aemilius Sura: *Assyrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, l. 6. apud Velleium.* Id quomodo intelligendum sit, ex antiquis monumentis docet Eusebius, quum in *Chronico* haec refert. *Tharac anno XXIIIX. Assyriorum rex primus Belus mortuus est, quem Assyrii Deum nominaverunt.* Igitur nemo nos erroris arguet, si hanc sententiam sequamur, quam cum sacra historia, in libro generationis *X. n.* a Mose descripta, congruere prorsus et omnino scimus. Non hic ad componendam huius rei controversiam afferam, quod plerique non absurde putant, Nino Beli F. deferri primas, quod ab excessu patris regnum Assyriorum instaurasset fortiter, ac deinceps magis amplificasset, prorsusque ita separasset, ut contra motus, contraque incursiones firmus esset, neque iam bella expectare, sed inferre finitimis possent. *Vid. Vell. l. 7. Eusebius in Chronico eodem, quum tradit: Primus Assyriorum rex Ninus Beli filius regnavit Asiae.* Ut vel sic quoque more et instituto profanorum, instauratorem huius regni a Nino factam pro initio eius, haud alioqui a se dissidens habuisse videatur. Non aberraverim, si dicam, Iosephum, scriptorem per se gravem et prudentem, tempora Nini designasse, quando Assyriorum res bellicas, et potentiam tota Asia insignem tradidit, eamque occasionem ex aequalitate temporum Abrahami nactus est, quae vitae actisque Nini respondent, atque in eo Eusebius et Augustinus conspirant mecum atque consentiunt, regnante Nino natum fuisse Abrahamum, quorum ille vid. in *Chronico, hic XVI. 17. XVIII. 2, de C. D.*

His

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

9

His pleraque conveniunt, quae de Nino rege Diodorus scripsit, etsi originem Nini Urbis non pari certitudine edisseruit, ex Mose antiquissimo et fallendi nescio, divinitusque afflato scriptore corrigendus. Nam quae a Diodoro Ninus, eadem a Mose Ninive appellata est, cuius magnitudo non aequavit modo, sed etiam superavit Babylonem, apud Strabonem Geograph. XVI. Η Νίνε πόλις μείζων ἢ τῆς Βαβυλῶν. Quorsum spectat Ionae vatis, significantiore loquendiratione magnam nominantis oraculum, I. 2. et III. 2. 3. Luculentissime Diodorus, τηλικαύτην γὰρ πόλιν ἕδεις ὕστερον ἐκίσει, κατὰ τε τὸ μέγεθ' ἢ τὴν περιβολήν, καὶ τὴν περὶ τὸ τεῖχος μεγαλοπέπειαν, II. 3. Nec tam de eius situ quam de conditorelis est, quam stricim breviterque dirimamus. Situm in Assyria omnes tribuunt, Strabo XVI. Ὁ Νίνος ὁ τὴν Νίνον ἐκίσε τῆς Ἀσσυρίας κτίσας. Scribit, Ἀσσυρία pro Ἀσσυρία, more scribendi a barbaris tradito, ut Dio Cassius explicavit, qui postquam enarravit Adiabenen, ac de ea dixit: ἔστι δὲ τῆς Ἀσσυρίας τῆς περὶ Νίνον μέγιστος αὐτῆ, mox subiicit, apud barbaros Atyriam vocari: ταῦτα τῆς δ' ἐστὶ καὶ πᾶσι καὶ Ἀτυρία (διὰ τὸ τοῦ βαρβαρῶν, τῶν σίγμα ἐς τὸ τῶν μεταπισόντων, ἐκλήθη, in Traiano lib. LXVIII. p. 783. Pro Ἀτυρία alii legunt Ἀτυρία. Altera lectio Straboni ac Stephano Byzantio magis congruit, altera prisco Assyriorum nomini propior, utraque in eo, quod literas σ. et τ. commutat, Atticorum dialectum et morem fere imitatur. Conditores Urbis Nini per plures Assurem nominant, ac in his familiam ducit Iosephus, cuius haec sunt verba: Ἀσσυρίων δὲ Νίνον οἰκίζουσαν πόλιν, καὶ τὰς ὑπερῶνας, Ἀσσυρίων ἐπωνόμασε, ἀρχαιολ. I. 7. Applaudit Sulpicius Severus, atque ab eodem auctore huius urbis originem ducit, Sac. histor. I. 84. Neque ab ista sententia alieni sunt plerique interpretes, Graecique pariter et Hebraei assentiuntur. Quin imo putat Georgius Hornius, Assurem in fastis Siculis nomine Thurae significari, ac deinceps Svidae auctoritate id firmat, atque hinc ad explicandam nominis originem descendit, not. in Sulpicium d. l. At non recte id sibi sumit more suo Hornius, quoniam Thuram insigni temporis intervallo regnavit post Ninum. Constat autem Niniven diu ante, sive a Nimrodo, quod non dubia Mosis historia evincit, sive a Nino, quod profani tradunt, conditam fuisse. Proinde nomina et tempora confundit, et Graecum non minus, quam antiquitatis imperitum se ostendit, quum Thuram ab Ἀσσυρία arcessit, et hanc unam eandemque esse iudicat, quam profani Ἀσσυρίαν appellarint. Sed quia hoc nullo auctore idoneo probat, non est, cur in refellenda eius coniectura longum ac supervacuum laborem ponamus. Etenim quod seqviores Hebraeorum magistri sic interpretari videntur Ἀσσυρίαν, id profecto non facit, ut antiquissimum Thurae nomen a recenti, eoque dubio, et tantum non mendoso fabulatorum verbo deducamus. Ac de Thura quidem Svidas fastos Siculos imitatus haec reliquit. Ἐτ' ἐβασίλευσε μετὰ Νίνον Ἀσσυρίων. Quod reliquum est, non diffiteor, faciliorem conciliandae historiae rationem iniri posse, si

B

Assur

Affur non pro hominis, sed pro regionis nomine habeatur, quod quidem ita visum est viro castigatae eruditionis *Sam. Bocharto in Phaleg. Lib. IV. c. 19.* Ac idem ille in hoc argumento haud exiguam operam locavit, nec paucas ad probandum rationes adduxit. *Phaleg. lib. IV. c. 12. cumque secutus est Christianus Schoranus de secunda mundi aetate p. 120.* Quae tamen apud *Varenium* non eiusmodi pondus habent, ut persuadeant, cur ab antiquissimorum retro temporum interpretibus, quos *Eucherius* in Commentariis sequitur, recedat. *De Thura conf. Ioannes Antiochenus, qui superest in excerptis.*

§. XXII. Regnum ceteroqvi Nimrodus possea inuit, quam Noachidae dispersi dissipatique erant. Nam condere imperium, et magno frequentique hominum concursu aedificare et incolere urbes, et cogere ad imperata faciendam multitudinem, ac deinde vim facere finitimis, et late propagare potentiam ac stabilire, non sane familiae, nec promiscuorum et nulli civili imperio obnoxiorum hominum, sed populi, sed gentis una imperandi et parendi societate iunctae haberi debet. Itaque Nimrodus non potuit esse Rex, antequam idoneo et sufficienti numero homines imperio atque legibus ipsius obtemperarunt: quod sane accidit, postquam Noachi familiae distractae in contrarias sententias discesserunt a se invicem, atque in diversas terrarum orbis regiones demigrarunt, patrumque auctoritatem cum Principum potestate commutarunt. His vero dispersis, Nimrodus a perficiendo aedificationis proposito irati Numinis prodigio deterritus, Babylone nihilominus aliquandiu substitit, ac prospera deinde fortuna in Assyriam tendit, et Nineven quasi felicioris auspicii domicilium ac sedem extruxit. *Vid. liber divini Codicis, qui Genesis inscribitur, XI 8. seq. et Chrysostomus homil. XXIX.* Postea Semiramis, quicquid Nimrodus imperfectum reliquerat, feliciter absolvit, adeo ut vel ob insignem hanc celebratamque instaurationem prima aedificata Babylonis initia Semiramidi accepta ferantur, apud *Diodorum II. 7. Strabo XVI. Conf. Herodotus I. 184.* Quibus lucem asserunt *Iosephus Antiq. Iud. I. 5. et auctores, qui in monumentis apud Eusebium supersunt: nec non Augustinus XVIII. 2. de C. D. horumque ad partes accessu vetus, nec ignobilis Poeta, cuius ad hoc institutum pertinet versus: Ἀρχαίη Βαβυλων, Τυρὲς Ἐβλαιο πόλισμα. Iosephus Antiq. I. 7. Ναβευδνεχὲς Χρῆσθ ὑὸς ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίους ἰτυράνησι.* Nec aliud sensit ac scripsit *Alexander Polyhistor* in fragmento supra citato. In eo autem non assentimur *Iosepho*, quod putavit, fundatum in Chaldaea imperium antevertere illud tempus, quo Noachidae distracti sunt atque dispersi. Quicum existimavit *Sulpicius Severus*, et quamobrem ita existimaret, ratione minime idonea declaravit. Postquam enim gentes in suas quaeque oras abierunt, terrarum regionumque appellationes primo coeperunt, et distincta adeo divisaque imperia sic demum instituta fuerunt. *V. Augustinus XII. de C. D. Iac. Saliannus ad A. M. 1932.*

§. XXIII. Casu autem, an consilio in terrarum oras atque insulas venerint, occasio disquirendi nunc datur, ac ego quidem adduci non possum, ut Iosepho prorsus assentiar, qui fortuito id accidisse refert. *Καὶ γῆν ἕκαστος καταλαύσαν, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἤγει ὁ Θεός.* *Antiq. I. 6.* Aliqui καταλαύσαντες Contra fidem codicum veterum refingunt, et καταλαύσαντες legendum opinantur: perinde ac si numerus plurium hic non haberet schematis vulgo noti excusationem. Sed quod res ipsa postulat, fatendum mihi est, illam ipsam Noachidarum partitionem in deliberatione positam, ac scienter et consulto factam, et quod plerique tradunt, sortis iudicio terminatam fuisse. Pro ea enim auctoritate, qua tunc Noachus, instaurati hominum generis pater et princeps, Dei munere fungebatur, sine dubio dux fuit atque auctor eam ad rem conficiendam, in qua et servandae pacis, et maturandae propagationis consilium stetit. Ac de partitione quidem omnes facile conveniunt, at fortitionem non perinde tradunt, quam Epiphanius memoriae prodidit, copioseque explicavit. Dignus adeo, quem Eusebio iungamus, ut non minus dictis facere fidem, quam consenti scriptorum addere queamus pondus. Nam ea quaestio, quae hoc capite, *ἐμέρις τὴν γῆν*, continetur, per se constat, et Eusebium, qui omnia veterum monumenta pervolvit, auctorem habet, iamque confecta est: altera autem, quae sortem spectat, atque hac sententia comprehenditur. *ἔβαλε τὰς κληῖρας*, ab Epiphanius editis et confirmatur. Is inter alia ad hoc institutum pertinentia haec scripsit *Ὁ Νῶε εἰκοσιεὶς ἀπέβαλε τὰς κληῖρας τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ.* In haeres. *Manich. 66.* Eusebium locum designat, quem paulo ante nominarat Epiphanius, quanquam in eo definiendo fallitur, quum putavit fuisse *Rhiconoluram*, cuius meminit Diodorus, atque in Aegypti et Syriae limite collocavit, *I. 60.* Haud dubie eum legit et respexit, cum in *Ancorato* scriptum reliquit. *Κεῖται δὲ αὐτὴ ἢ εἰς Κορκυράων, ἀνα μέσον αἰγυπτῶν καὶ παλαιστίνης, ἀπὸ κεντρὸς τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης.* Itaque illo antiquitatis argumento colligi potest, sortem esse inter gentium antiquissimos acquirendi modos, ac non utiliter solum, sed etiam necessario recipi interdum ac probari, proque Dei ipsius iudicio haberi, si neque partes inter se convenire, neque lites ob iuris et meritorum aequalitatem terminari possunt, adeo ut iis sine exceptione standum sit, et quod hunc sequitur, nullus provocationi ad iudicem locus relinquatur. Oracula iuris, et divina humanaque exempla afferre longum foret, neque huius loci est. *Vid. eo Petrus Gregorius Tolosanus tract. de Appellat. lib. II. cap. 19. n. 10. seqq. Samuel Bochartus contra Epiphanius auctoritatem nihil nisi coniecturam affert, quam approbare nolim, in Phaleg. lib. 1. cap. 16.* Praeterea hoc sortis iudicio, quo superior divisio peracta confirmataque est, reperita dominiorum primordia continentur ac postliminio explicantur. Etenim cum primis fere hominum natalibus, atque adeo ante eluvionem terrarum orbis ius coepit, quo suam quisque rem, et sibi propriam haberet, dominiumque adeo in certos fines descri

descriptum teneret ac tueretur. Perapposite Iosephus primam hanc dominiorum originem indicavit, nec scribere dubitavit. Ὅρας π γῆς πρῶτ' εἶθετο, καὶ πόλιν εἰδείματο, καὶ τείχεσιν ὠχύρωσιν εἰς, ταῦτὸ συνελθεῖν τὰς οἰκείας καταναγκαίους. *Antiq. I. 3.* Vnde non ratione modo, sed actorum quoque documentis refellitur *primaeua* communio, et ab ultimis ante Noachicae eluvionis vastitatem seculis traditur atque comprobatur, suos cuique fines ac terminos fuisse praescriptos, intra quos se atque dominium suum coerceret. Quo fit, ut specie ac obtentu *primaeuae* communionis, cuius *postliminium* fingitur, nullum aufereudae rei praesidium ab extrema necessitate peti queat: propterea quod ne *primaeua* quidem communio fuit inter filios Adami: tantum abest, ut inter Noachi liberos fuerit, ut quoque iam constet, illos sorte divisisse terras. Illud autem absurdum, nec in genere morum possibile est, ut res post divisionem atque occupationem communes nihilominus maneant, pariterque ab omnibus ex aequo habeantur et usurpentur. *Dissentit Hugo Grotius, et contrarium enixe vult ac svadet II. 2. 6. l. B. et P.*

§. XXIV. Amplius de Nimrodi imperio dicendum est, non domesticum fuisse et paternum, sed herile profus et asperum, plenaque regnandi potestate fundatum, ut certo et continuo succedendi iure niteretur. Non piguit Diodorum id describere planis et significantibus verbis: καὶς ὡρᾶ πατρὸς διαδεχόμενος τὴν ἀρχήν, *II. 21.* Idque apud Romanos deprompsit et confirmavit Velleius, cum regnum successionem ita traditum devolutumque memorat, *ut semper successor regni paterni foret filius, l. 6.*

§. XXV. Itaque non est, cur dubitemus, Assyriorum reges omnes ditioni suae subiectos servilem in modum obsequentes habuisse, eorumque rationes ad sua arbitria retulisse pariter atque exegisse. Ac Herodotus non potuit praeterrere Medos, qui illis ipsis regibus sub gravi servitutis iugo paruerunt, de quibus haec tradit. καὶ ἀπὸσάμενοι τὴν θελοσύνην *I. 96.* Ei suffragatur Philostratus, ac testis est, apud Assyrios et Medos *tyrannides* maximis honoribus coli. *Λαυρῖοι καὶ Μήδοι τὰς τυραννίδας προσκυνοῦσι, de vita Apollonii Tyanci VII. 6.* Atque hoc est illud *Venerari*, quod *προσκυνοῦν* Persae vocant, apud *Cornelium Nepotem in Conone III. 2.* De Cappadocibus *sine rege vivere se posse negantibus tradit Iustinus XXXIIX. 2. 8.* Par Armeniorum conditio et ingenium fuit, quod proni in servitutem optarunt, ut reges sibi praessent, pristinusque status integer conservaretur, apud *Tacitum XIII. 34.* More omnium fere Asiae populorum, quibus libertas ignota erat, quos Aristoteles docte ac prudenter commemoravit. τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν διανοητικὰ μὲν καὶ τεχνικὰ τὴν ψυχὴν, ἄθυμα δὲ διόπερ ἀρχόμενα καὶ θελευόντα διατελεῖ. *Roliticorum XII. 7.* Ad hanc servilis obsequii legem Chaldaei et Assyrii omnium primi a Nimrodo instituti sunt, atque ultima adeo herilis imperii ab instaurato orbe initia ac fontes ex Chaldaea in Assyriam, totamque deinceps Asiam dimanarunt.

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

narunt. Hinc apud Eusebium Iulius Africanus. *Οἱ χαλδαῖοι πρῶτοι ἀνηγόρευσαν ἑαυτῆς βασιλεῖς, ὡς πρῶτ' Εὐχῶ.* Euty chius Patriarcha scribit: *huius (Abrahami) tempore fuit Nimrod Gigas rex Babelis, ubi primus omnium regnasse fertur, in annalibus Alexandrinis p. 63.* Similiter Gregorius Abul Phariius Nimrodum regum in terra Babel primum, eundemque *Gigantem* appellavit, paremque de sumpta corona fabulam prodidit, *in historia dynast. 1. p. 12. Gigantem, opinor, imitatione LXX. interpretum vocant, ac mores potius magnasque Nimrodi vires, quam molem humanae staturae habitum modumque excedentem contemplantur.* Ita vero *οἱ ἐβδομήκοντα. ἔτ' ἦν γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίας τῆς θείας. διὰ τὸ ἐρεῖσιν ὡς νεβρωὶδ γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίας, Genes. X. 9.* Leve nugatoriumque est, quod Hebraeorum magistri narrant, Nimrodum vestes Adami pelliceas nactum; venationi operam dedisse, earumque usu permagnam vim ad hoc negotium feliciter perficiendum habuisse, et caeso posthac Nimrodo, Esavum induisse, *quod auctore Iarchio narrat Ioannes Braunius libr. de Vestitu sacerdotum Hebraeorum cap. 4. p. 87.* Alioqui LXX. applausores habent Ambrosium, Sulpicium, Augustinum, huiusque discipulum Orosium, qui omnes Nimrodum Gigantis nomine appellant. Sed fallit eos vocabuli huius notio, quam nos ex Hesychio interpretamur, ut idem gigas sit, qui robore et ferocia alios superat, quiqve Graecis dicitur *ἰσχυρὸς, τολμηρὸς*, ac summatim *δеспωτικός ἀρχων.* Quod Nimrodo ex asse convenit, et adeo quidem, ut Gigantem et tyrannum paria facere multi affirmant. Quam Chrysofostomi sententiam probat Ioannes Saresburiensis, et postquam tyrannum nominavit, Graeca verba *ἐναντίον κυρίας*, quae apud *ἄδς ὀ* extant, Augustinum secutus perperam convertit, *lib. IIX. c. 20. de nugis Curialium.* Causa vero, quamobrem venator dicatur, a plerisque haec affertur, quod cum feris capiendis, tum hominibus in ordinem obsequiumve cogendis omnem curam laboremque impendisset. Doctores Targumici Nimrodo venationem in vitio ponunt, eamque de peccato et imperio tyrannico interpretantur. *Vid. Paraphrastes Chaldaeus Chronicorum apud Matth. Frid. Beckium cap. I. v. 10.* Mihi non displicet eorum commentatio, qui venatum pariter atque dominatum hoc vocabulo designari asserunt: uterque enim regum despoticorum ingeniis convenit et probatur exemplis, *Romuli apud Plutarchum in Romulo, Cyri apud Xenophontem in Cyripaedia I. Hadriani apud Xiphilinum in Dion. exc. in eodem, Diocletiani apros manu sua occidentis apud El. Vopiscum in Numeriano.* Igitur apte convenienterque explicant Augustus Varenius, et Andreas Riverus, qui Nimrodum et in venando robustum, et in regnando praeferozem fuisse, huius loci argumento docent. Arabs Syrusque interpretes, et cum his plerique commentatores alii, *terribilem bellatorem* innui putant: non secus, atque Aristoteles *λησιέων* inter venationis genera numeravit, quae per saepe in tyrannis se prodit. Quin imo Seneca non sibi temperare potuit,

quin Philippiet Alexandri M. *latrocinia* perstringeret, in *praefatione libr. III. de Natural. qu. aest.* Nec multo aliter Bragmanes, Alexandro exprobrantes το χαρτα-
 ο Φάριεν ἀδελφάντες, καὶ τραπεζοῦν ἔδυν, apud Palladium de Bragman. p. 33. et apud
 Arrianum lib. VI. de exped. Alex. *Conferunt Scythae apud Curtium VII. 8. 19.* Ver-
 ba coram Domino denotant imperium nutu providentiaque Dei institutum.
 Non adverstatur Hieronymus, dum scribit. *Nemrod arripuit insuetam primus in*
populo tyrannidem, regnavitque in Babylone, 1. trad. Hebr. in Genes. Enarrat enim
 sumpti susceptique imperii modum, ut, qua via ad dominatum progressus sit,
 ostendat: minime autem definit originem, quam altius esse repetendam prae-
 clare monet Augustinus. *Etiā talibus (dominatus tyrannidisque cupiditate*
praeditis) dominandi potestas non datur, nisi summi Dei providentia, quando res hu-
manas iudicat talibus dominis dignas. V. 19. de Civ. Dei. Quare inter scriptores con-
 venit, prima in orbe fuisse regum imperia, apud Sallustium in bello Catilinario II.
 et Iustinum, qui historiam sic auspicatur. *Principio rerum, gentium nationumque*
imperium penes reges erat, 1. 1. Nec dissentit Cicero, ac tradit, *omnes antiquas gen-*
tes regibus quondam paruisse. Statimque subiicit. *Quod genus imperii primum ad*
homines iustissimos et sapientissimos deferebatur, de legibus III. Mittimus expositio-
 nem, quae Nimrodum, quatenus ferarum venatorem, designat, atque ideo feli-
 cem in venatu fuisse asserit, quia praedae partem Deo dedisset, apud Hugonem
 Grotium, in annotatis ad hunc locum X. 9. Nam ut fabellae ab Hebraeorum ma-
 gistris acceptae assensum praebeamus, nihil equidem movere nos potest. Equi-
 dem indoles Nimrodi tyrannidis appetens et ferox, animusque a Dei cultu alie-
 nius, ac superbus, neque satagens rerum, et rapere assuetus, eum ad deteriora sti-
 mulabat. Vim facere, et inferre bella, ac lacessere finitimos et persequi, ac sper-
 nere proavi Noae monitiones et dicta eludere, religionemque et ceremonias
 Semitarum odisse pariter atque aversari, et tollere adeo superiorem divinae ac
 patriae potestatis venerationem, non tale pervadent, nedum prae se ferunt
 Nimrodi institutum. *Vid. Iosephus antiq. 1. 5.* Ac longius quoque abit eorum
 interpretatio, qui Nimrodum fiducia roboris elatum e numero hominum exime-
 re se voluisse iudicant, idque argumento verborum, *coram Domino*, asserunt at-
 que exponunt, apud Io. Calvinum comment. in Genes. b. l. p. 88. Philippus Bergo-
 mas comminiscitur, *Ionicum quendam Noae filium non terrae partem, sed mu-*
nera a patre suo accepisse, Nimrodumque gigantum discipulum habuisse, quem
regnandi artibus erudiisset, in Chronicorum Methodii suplemento, cuius, et Ioannis
Annii, crebras nihil moramur nugas.

§. XXVI. Sed cum de Nimrodo scribendi finem facio, tum sane restat, ut
 Nini tempora ordinentur, explicatiusque tradantur. Rem vetustate ultima
 obscuram quodammodo et incertam sic tractat et perquirat Iacobus Vilerius, ut
 ei nimis audax assertio videatur, si dicamus, ad Indos usque imperavisse Ninum Assy-
 riorum

riorum regem, in *Chronologia sacra*, quam accuravit Thomas Barlowius, pag. 83. Nam ea sententia congruit cum optimis quibusque veterum monumentis, et habet auctores sane diligentissimos, ac omnes eos, quotquot ad commemorationem horum temporum fidem imprimis atque industriam attulerunt. Inter Philosophos etiam Plato magnae Assyriorum potentiae mentionem fecit, atque haec ab instituto non aliena scripsit. Οἱ παρὰ τὸ Ἰλιον οἰκῶντες, τότε πιστεύοντες τῇ τῶν Ἀσσυρίων δυνάμει τῇ παρὰ Νίνου γενομένῃ, θρασυμένοι τὸν πόλεμον ἐγενεον τὸν Ἰλίου Τροίας. Ἡ γὰρ ἐπὶ τῆς ἀεχμῆς ἐκείνης σχῆμα τὸ σωζόμενον ἔμικρον. Καθ' ἅπερ νῦν τὸν μέγαν βασιλέα Φοβήμεθα ἡμεῖς, καὶ τότε ἐκείνην τὴν συσθεῖσαι σύνταξιν ἐδίδισαν οἱ τότε. *Lib. III. de Legibus.* Dilucide hoc et perspicue tradidit atque comprobavit Diodorus Siculus, et gentium ab eo subactarum numerum iniit, ac post eius decessum quoque Semiramidem totius Asiae reginam appellavit, *II. 2. et 20.* Quod tamen cum exceptione Indiae et Arabum Nabataeorum intelligi debet, *apud eundem II. 16. 20. III. 48.* Multo minus hoc ad totam Aethiopiam et Africam pertinet, quamvis regina Semiramis aliquam Aethiopiae partem, et Libyae insignem tractum adorta sit ac subegerit, *II. 15. 16. et III. 3. collat.* Quod Alexandrum tam male habuit, ut reges superiores magno potentiae intervallo anteire cuperet, quod facere se posse confidebat, si circumnavigata Arabum ora maritima in Aethiopiam, Libyamque deinde ac Numidas penetrasset, *apud Arrianum VII. coll. Curtio IX. 1. 17.* Neque sic tamen Assyrio-Chaldaei magni in terrarum orbe reges esse desierunt, quandoquidem magnum Asiae imperium, quod hic reputamus ac respicimus, diu et constanter tenuerunt, quod sequioribus Persarum Medorumque regibus iure non posse tribui, affirmavit Alexander, quum animo ambitionis pleno atque indignante dixit, τὰς γὰρ τοὶ Περσῶν καὶ Μηδῶν βασιλείας εἰδὲ τὰ πολλοὺς ἕμεις τῆς Ἀσίας ἐπάρχοντας, ἢ σὺν δίκῃ καλεῖν σφάσι μεγάλας βασιλείας, *ut testis est dicto in loco Arrianus.* Omnino autem Ninus et amplitudine Imperii Belum patrem praestitit, et, *contradicente quamlibet Vsserio,* magnus Asiae rex fuit, et iure demum appellatus est, quem profani cum primis spectant atque insigniunt, cum de Assyriorum Chaldaeorumque vasta potentia tradunt. Proinde Iosephus. Κατ' ἐκείνοι δὲ τὸν καιρὸν Ἀσσυρίαν κρατύνταν τῆς Ἀσίας, *antiq. I. 10.* Plinius ait: *Babylon Chaldaicarum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiae, Assyriacque Babylonia appellata est. Hist. Nat. lib. VI. c. 26.* Strabo ad Ninum pariter atque Semiramidem porrigit atque accommodat, dum scribit. ἔτοι δ' ἐκράτησαν τῆς Ἀσίας, *Geogr. XVI.* Et si autem non par et aequalis Persarum Imperii magnitudo fuit, tamen qui modo Assyriis, idem superiori libro Persis Asiae Imperium vindicavit. Ἔτι εἰς πλείους διαδεξαμένους, καὶ τὰς παγίους τέτων μερῶν, σθεῖσα ἡ ἡγεμονία τῆς Ἀσίας διελύθη, *Geograph. XV. in extremo.* Quae verba dirigit ad X. Persarum reges, qui a Cyro usque ad Darium Codomannum regnarunt, quippe quos paulo

paulo ante designaverat, et stylo ac sensu Diodori Siculi, Assyrii Imperium Asiae tribuentis, scribit ac discrete testatur, apud Persas quoque summam potestatem, imperiumque Asiae maximum fuisse. Itaque malo hic sequi Strabonem *πολιτικά πρην*, quam Arrianum, neque enim decet movere veteris historiae terminos, et summa Orbis Imperia de propria et prisca magnitudinis dignitate dimovere.

§. XXVI. At vero omnes illi Assyriorum reges, quotquot post Nini et Semiramidis tempora ad Sardanapalum usque regnarunt, obscuri fuere ac inglorii, et nihil praeter nomina posteris reliquerunt, ac simul et universe triginta aetates hominum expleverunt, regnumque paterna successione initum, per sordidiam et luxum non protenus, neque ex breviori intervallo amiserunt, sed quam diutissime sine tumultu ac bellis retinuerunt. Vid. Diodorus Siculus, qui, ut Plinius in praefatione ad Vespasianum auctor est, apud Graecos nugari desit, causasque servati tamdiu imperii sapienter exposuit, et quamobrem tandem in Sardanapalo defecerit, explanate memoravit, II. 15. 23. et seq. *ὅτι γενεάς τετράκοντα ἐβασίλευσαν*. Omnibus constat, *γενεάς* scripsisse, non *γενέσεις*, quae permultum inter se distant ac distinguntur. Proinde horum regum ignavia et luxuria cum foeditate coniuncta effecerunt, ut profani scriptores parum vel nihil memoratu dignum acciperent, ac divinitus afflati homines profus etiam de istis ipsis regibus tacerent. Nam sive Mosis de orbis origine, et antiquissimorum temporum statu commentarios, sive Iudicum Regumque divina auctoritate perscriptos libros evolvamus, nihil equeidem, si Nimrodum excipimus, vel verbo proditum de his vetustissimis Assyriorum regibus usquam reperiamus. Recentiores enim illi sunt, quorum in sacra regum historia mentio fit, quandoquidem eam stirpem et seriem regum, de quibus hic loquimur, Sardanapalus perditio luxu, ac nefariis incestibus polluit, ac fatali tandem exitio suo finivit. Vid. Dionysius Petavius de doctrina temporum lib. IX. cap. XIV. Quare Augustinus divinam humanamque historiam docte et prudenter coniunxit, cum Ninum, de quo nihil in sacris libris est, Abrahamo aequalem supputat, nec fallitur in rationibus, quas in ordinandis Assyriorum regibus subduxit, lib. de Civ. Dei XVI. c. 17. Vbi veterum Geographorum placitis stetit, quando Assyrios sub nomine regum Asiae quoque Aegypto imperasse refert: quoniam prisca omnes, si Ptolomaeum et paucos excipio, Aegyptum extra Africae fines terminosque posuerunt. Coll. lib. XVIII. cap. 7. Sed illud placere mihi non potest, quod aliqui putant, hoc Nini quoque nomen primo Chaldaeorum regi fuisse attributum, priusquam a rebellione Nimrodus appellaretur, apud Ioannem VVichmannum Chronol. Sacr. lib. 2. p. 266. Cuius rei sicut idoneo monumento fidem facere non potest, ita eadem ex causa iis non accedimus, qui duos Ninos tempore ferme coniunctos fuisse existimant, ita ut alter eorum Nimrodi, alter Assuris cognomine diceretur, apud Aug. Varenium

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

17

nium in Genes. p. 453. Nam quod de Beli appellatione supra traditum confirmatumque est, id non peraeque ad Nini nomen pertinet, et nullo antiquitatis consensu, neque aptis rationibus confirmatur. Tum quod Io. VVichmannus sumit, Nimrodo a rebellandi vitio inditum fuisse nomen, multi etiam gnauiter docti reiiciunt, et vocabulorum origines caute aestimant, nec semper, nedum in praesens, admittunt ac probant, apud Beckium in notis ad paraphrasen Chaldaicum supra citatum.

§. XXVII. Iam porro et opportune disquirendi locus est, quo iure ingens illud Assyriorum regnum ceperit tenueritque Semiramis, in quo nulla nisi virilis sexus ratio, gentilisque et hereditaria successio valebat. Diodorus Siculus, cuius permagna apud nos auctoritas est, scriptum reliquit. Μετὰ ταῦτα γενήσας ἐκ Σεμιραμίδος υἱὸν Νινύαν ἱελευτήσας, τὴν γυναῖκα δ'πολιτῶν βασιλεῖσας. II. 7. Verba posteriora perperam vertit Latinus interpres, quoniam Ninus non reliquit Semiramidi successionem, sed eam duntaxat reginam reliquit. Igitur successio, quatenus ius titulumque succedendi in regno Assyriorum designat, in praesens non intelligitur, quippe quam neque dare Ninus voluit, neque iure potuit in regno, quod ad mares paterna successione pertinebat. Producimus testem Iustinum, qui ex Trogo sequentia in historiam redegit. Haec (vidua Semiramis) nec immaturo (filio Ninyae) causa tradere imperium (non ius imperandi, quod sane penes Ninyam erat, sed administrationem, velut tutelae nomine susceptam, denotat) nec ipsa palam tractare (quoniam ad descendentes, a primo acquirente Nimrodo virilis generis spectabat) tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum feminae parituris, simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum, I. 2. 1. Etsi enim hae nationes seruituti natae sunt, ac dominatum patiuntur, tamen feminarum imperia non ferunt, et sexus eius infirmitatem imperandi non capacem, et maiestati adversam esse, obstinate credunt. Itaque Hugo Grotius et Ioannes Marshamus ius successionis feminarum ibi non recte astruunt, neque convenienter petunt ab exemplo Semiramidis, ille de I. B. et P. II. 7. 12. ibidem annot. hic in Can. Chron. p. 68. 69. Namque regnum, in quo iure virilis sexus succeditur, in eo non est ratio causaque succedendi feminis, quippe quas sexus ille in tantum vetat ac excludit, in quantum soli viri succedunt viris, apud Diodorum II. 21. Non ergo ius imperandi, quod a Belo inde ad Sardapalum usque, maribus descendentes proprium et peculiare eo in regno fuit, sed administrationem duntaxat filio ad regnandum immaturo mater praeripuit, ac pro statu illorum temporum sibi vindicavit. Adhaec narratio Athaenei apud Diodorum II. 20. mihi suspecta est, et malo sequi Ctesiam, qui apud eundem in excerptis monumentis superest, propterea quod hunc velut in transitu et aliud agens adduxit, Ctesiam autem in Assyriacis ex instituto secutus est, ac diligenter adeo et omni ex parte, quae opus erat, expressit. Tum vero alter

C

Athe-

Athenaeus sibi non constat, quum regem Nini alium a rege Sardanapalo adhuc vivente constituit, *Dipnosophisti*. XII. Quamquam vero doctissimus *animadversor Casaubonus* ad conciliandum cum Diodoro *Athenaeum Dipnosophistam* nihil illic annotavit, ego tamen in praefens auctoritatem Diodori praefendam esse arbitror, qui sine dubio scivit et legit meliorem Ctesiae narrationem, quam iure defendimus, et dissidentis Athenaei *Dipnosophistae* sententiam merito improbamus. Athenaeus quidem evolvit et laudavit Ctesiam, sed Diodorus cum magis diligentiusque excussit, atque ex professo etiam res Assyriorum persecutus est, ut vel hanc ob causam Diodori fides potior mihi videatur. Revertor ad Semiramidem, quam Philo Byzantius cum ob divitias, tum ob cultum regum impense laudavit. *Σημίραμις ἐς βασιλικὴν ἐπὶ λήθησιν Ὀππνοίας*, de miraculis mundi V. Ea Belo templum Babylone posuit, ut hoc veluti auspicio urbem, quam perfecit ipsa et communivit, Numini dicaret, populumque ad eius venerationem invitaret. *Diodorus Siculus II. 9.* Auxit igitur impios gentium cultus, statuaque Belo Babylonio collocata, superstitionis profanae ritum iam ab Hammonis, sive Chami temporibus proditum, diuque continuatum, suo quoque exemplo confirmavit. Quae est *gentilium* veteris per Semiramidem instaurati *epocha*, siquidem volumus, ut per distincta temporum familiarumque intervalla constituatur. Nam secunda *Gentilium* aetas fuit in Chamo, ex quo Belus Ninusque tanquam a primo stirpis conditore orti sunt, et magnis deinde familiae incrementis posteros suos propagarunt. Nec stetit ibi superstitio, sed procedente tempore amplius patuit, et ipsum pariter Semiramidis nomen, quod inditum a columbis est, cultui venerationique columbarum deinceps occasionem dedit. *Vid. Diodorus II. 4. Tribullus I. el. 7. Alba Palaestino sancta Columba Syro.* De simulachris imaginibusque falsorum Deorum, quos Syri Babylonique divina veneratione coluerunt, multa passim extant, apud Herodotum I. Plin. VI. cap. 26. Pausan. in Atticis, Laconicis et Messeniis de culta ab Assyriis Venere, ac de Amnone et Iove Belo: *Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 21. No Ammon apud Ieremiam XLVI. 25. et Nabum III. 8. a simulachro Iovis Ammonis cognomen tulit, etsi doctissimus Melchior Gvilandinus a notione multitudinis deducere voluit, in commentario de papyro p. 157.* De Assyriorum antiquitate et temporum rationibus videatur post Ctesiae fragmenta et Diodori Bibliothecam historicam Clemens Alexandrinus *Stromatum I. Mores et instituta Assyriorum pariter et Chaldaeorum collegit Io. Bapt. Gramaye anal. p. 256. seq. 309. seq.* Sed de signationes auctorum, quas adducit, non semper respondent suis fontibus. De *Gentilium* Chami conf. *Gisbertus Voetius disp. sel. part. 2. de gentil. et vocat. gent. p. 595.* Hugo Robinsonus in *annal. mund. lib. 2. Cui tamen non fuit causa, cur Diodori de statu Beli narrationem suspectam redderet ac dubiam, p. 134.* Ad postremum graviter et sancte docet Laetantius, ob falsos Numinum cultus, quos Noachitarum malitia reperit, vanitasque deinceps humani ingenii auxit, Deum, qui iam

I. ASSYRIO-CHALDAEORUM PRIMORDIA.

iam diu ante voluntatem et oracula sua patefecerat, *Filium suum legasse ad homines, ut eos converteret ab impiis et vanis cultibus, ad cognoscendum et colendum Deum verum, Instit. Divin. lib. IV. cap. 14.*

II. MEDO-PERSARUM INITIA.

Qvae corporum, ea imperiorum vicissitudo est, neque aliter, ac homines, longa aetate conficiuntur et langvent, et saepe etiam instabilis fortunae documenta sunt, et in repentina atque improvisa pericula interdum veniunt, et subitis atque inexpectatis casibus aliquando subvertuntur. Itaque florent magis et durant, quae securitati potius quam potentiae consulunt, et parta servare, quam augere malunt, et fide atque concordia societatem tuentur et colunt, gnaviterque ac tempestive provident omnia et curant, neque distracta frangi se ac debilitari patiuntur.

§. II. Inter exempla Medii et Persae sunt, quorum regna ad certum usque tempus gloriam et robur servarunt, ac deinde velut expleto suae felicitatis intervallo, non modo florere, sed quoque sui iuris esse desierunt. Medii quidem usque ad adultam Cyri aetatem, Persae usque ad Alexandri Macedonis transitum in Asiam in potentiae fastigio steterunt. Quod sane *DION PRUSAEUN- SIS* inter fortunae beneficia numerat, idque evidentibus gentium exemplis probat, ac imperia velut naves agitari subindicat, et apta adeo ac eleganti tralatione affirmat, Persas secundo hactenus vento navigasse, prosperumque regni cursum tenuisse. Mox felicitatis huius diu continuatae finem terminumque subiungit, et navigantes fortunae ope homines idonea et significante circumlocutione denotat atque describit. Cumque id agit, tum praecipue in altissimo gradu positos intelligit, conversionesque has certis et insignibus temporum intervallis designat, suisque nominibus appellat, et ostendit, quamdiu imperii navem rexerint illi ipsi, quos introducit *πλεονίας*, sive navigantes: introducit autem et definit hos, *Ἀσσυρίως μέχρι τῆς Σαρδαναπάλης τρυφῆς. Μηδως μέχρι τῆς Κύρου τρυφῆς. Πέρσως μέχρι τῆς διαβάσεως*, in *Oratione II. de fortuna*, quae est in serie orationum omnium *LXIV.* Vocabulo *διαβάσεως* significat transitum Alexandri Magni in Asiam, cuius memorandi occasionem alibi nactus tradit, Macedonas postremo transiisse in Asiam, et rem fortunamque et gloriam amplificasse. Et enim diversa est *διαβάσις εἰς τὴν Εὐρώπην*, quum Xerxes in Europam movit, Graeciamque infestavit, *de qua est apud Diodorum Siculum Bibl. Hist. XL. 1. τὰ τελευταία*, i. e. *Postremo*, nomine vim adverbii habente, scripsit, quando rationem numerumque iniiit superiorum expeditionum, quae ante Alexandrum